

5 **Lo stile oratorio di Crasso**

Paratus veniebat Crassus, exspectabatur, audiebat; a principio statim, quod erat apud eum semper accuratum, exspectatione dignus videbatur. Non multa iactatio corporis, non inclinatio vocis, nulla inambulatio, non crebra suppositio pedis; vehemens et interdum irata et plena iusti doloris oratio, multae et cum gravitate facetae; quodque difficile est, idem et perornatus et perbrevis; iam in altercando invenit parem neminem. Versatus est in omni fere genere causarum; mature in locum principum oratorum venit. Accusavit C. Carbonem eloquentissimum hominem admodum adulescens; summam ingeni non laudem modo sed etiam admirationem est consecutus. Defendit postea Liciniam virginem, cum annos XXVII natus esset.

(Cicerone, *Brutus*)

6 **Non è necessario raggiungere il primato nell'oratoria**

Quaeris igitur idque iam saepius quod eloquentiae genus probem maxime et quale mihi videatur illud, quo nihil addi possit, quod ego summum et perfectissimum iudicem. In quo vereor ne, si id quod vis effecero eumque oratorem quem quaeris expressero, tandem studia multorum, qui desperatione debilitati experiri id nolent quod se assequi possent diffidant. Sed par est omnia experiri, qui res magnas et magno opere expetendas concupiverunt. Quod si quem aut natura sua aut illa praestantis ingeni vis forte deficiet aut minus instructus erit magnarum artium disciplinis, teneat tamen eum cursum quem poterit; prima enim sequentem honestum est in secundis tertisque consistere. Nam in poetis non Homero soli locus est, ut de Graecis loquar, aut Archilochus aut Sophocles aut Pindarus, sed horum vel secundis vel etiam intra secundos.

(Cicerone, *Orator*)